

verò tandem in lucem iterum istis reculis (quibus similes singulorum generum interim in aperto aëre, loco tamen umbroso intra cellam penuariam, asservaveramus penitus tandem emarcidas, arefactas & exsuccas, præter unicam butyri particulam, quæ rancoris aliquid contraxerat) vigorem pristinum in singulis integrum ferè reperimus, panem profusus ut antè recentem, oculi tunicas & corneam tantillum albicantes, præterea verò nullum putredinis indicium, hyacinthi flosculos unum atque alterum adhuc vegetos, cæteris alboris aliquid jam indutis, narcissum colore pristino adhuc arridentem, imminentis tamen marcoris vestigia passim ostendentem, butyrum absque squalore omni: Verbo, nulli corruptionem notabiliorem, quàm in aëre unà concluso istorum omnium communi receptaculo. Hic enim foetorem multum contraxerat, inclusis omnibus atque adeò ipsi vitro sic impressum, ut post complures elutiones eum vix exuèret. Eum foetorem cum ex putredine oculi carnosum ortum primùm essemus suspicati, admotis isti naribus propius, errasse iudicium nostrum deprehendimus, istiusque sedem & fontem esse stagnantem tamdiu sub campana aërem certissimè tandem comperimus. Dissecto postmodum oculo, crystallinum vitreumque humores pelluciditatem & puritatem suam servasse deprehendebamus, aqueum autem penitus corruptum ac denigratum, imò solito copiosius, ut non solum, ex vitreo quid absorptum, sed uveam quoque & choroidem tunicas ab ipso exesas, esset suspicio.

XI. Circumstantias verò Campanæ Urinatoriæ nobis antehac ignotas adeoque in Parte I. Colleg. Curiosus non indicatas enarrat nobis NICOLAUS WITSEN J.U.D. & Senator Amstelodamensis in egregio quod edidit anno 1671. de Architectura Navali opere Belgico idiomate concepto, p. 288, quæ huc redeunt: 1. Ambitus campanæ plumbeæ, sive margo inferior, intus munitur annulo ferreo robusto, ne plumbum mollius ab ambientis profundioris aquæ